

Descendit autem inde usque ad Ænipontem, cui urbi nomen dedit, *Inspruck*. Noricos inde à Vindelicis separans Bavariam petit, usque ad Patavium urbem Episcopalem, Teutonice *Passaw*. Confluum Illsum à septentrione recipiens in Danubium exit. Civitates, quæ non procul ab Æno conspiciuntur, sunt Scherdingen, Osenburgum, Otingum, Muldorffium, Hehen-naugia, Rosenheimium, Kopffensteinium, Wasserburgium. Idem Ænus Iuvarum recipit, quem Saltzam vocant, qui supra Iuvaviam oriens in loco *Zum-bellen* dicto per eandem Iuvaviam, Lauffen, Titmaningum, ac Burckhusen præterfluens Æno miscetur, non procul ab Otingen & Pranau. Illus autem fluvius è Bohæmia descendit, ac ad Patavium Danubio miscetur. Celtes:

*Illus à Borea niger exit,
Danubii medios quos accipit alveus amnes,
Crescit, & impetuosior undis.*

Nabus. Nabus in Pinifero oritur, & mox ad orientem se convertit. Ptolemaeus Nabis, postquam de Vindelicis locutus est, non meminit, sed Æni, lib. 2: *Secundum scissionem fluvii ad meridiem convergentis, fluvius est, qui vocatur Æno*. Nabus autem per Neustadium ad meridiem se flectit, & juxta Ratisponam Danubio absorbetur. Vilsum Celtes ex Hercynia & Pinifero deducit:

*Qui Nabum vitreis fontibus egerit,
Et Vilsum socio flumine concipit,
Qui magnum sociati patrem Danubium petunt.*

Lycus. Lycus Vindelicorum Fluvius, *der Pech*, apud Valkyrum ortus, aut, ut aliis placet, in Alpibus, postquam Reynum, Augustam Vindelicorum, Lantzpergum præterfluxit, inter Nuenburgum atque Werd in Danubium exit. Savus & Dravus Flumina Pannoniam complectuntur. Ille recipit Fluvium Ogdolapem & inde Danubium petit, Teutonice *die Saw*. Distat à Dravo 11600 passus, per Lapiones & Breucos labitur. In Savum Baccuntius labitur juxta Syrinthium. Dravus autem è Noricis transit violenter per Serapilos, Iafos, Scandezetès, Dalmatiarum populos.

*Tractus to-
vius Danu-
bii.* Fonte suo prolapsus divagatur in palustria, mox in alveum receptus & subinde allabentibus rivis auctior multas gentes adit, & primo Suevos permeat, multis anfractibus flexibusq; donec Ulmam imperialem civitatem alluat, à qua dimissus Ingolstadtium Bavariæ urbem adspicit, inde Ratisbonam, de qua Otto Frisingensis: *Hæc civitas super Danubium sita est, qui unus trium famosissimorum fluminum in Europa à topographis dicitur, ex ea parte, qua prædicto anni duo navigabilia Regnus & Naba illabuntur flumina, posita, eò quod ratibus opportuna bonaque sit, Ratisbona dicitur.*
Germania.

Hinc Patavium adit, *Passaw*, ubi tres amnes concurrunt, Danubius, Ænus, Illsa. Danubius medius est, cui pons injectus urbem ipsam cum ripa adversa necit, ædificiis turribusque egregie ornata. Recipit hic dextera è Vindelicis Ænum, Iuvavo auctum, læva Illsam sive Illsum ex Germania adversa se in Danubium præcipitantem, ad pedem arcis episcopalis. Tandem in Austriam deductus Viennam salutatur, imperialem urbem, mox decimo à Vienna milliari *Passonium*, hodie *Presburgh* præterlabitur, exinde Komaram, ubi Insulam, quam hodie *Schutz* vocant, ambit, post hanc Strigonium radit & Budam in Hungaria citeriore, quam nunc Turca tenet, ereptam Christianis, anno Domini MDXIX, ab imperatore Solymanno, die 19 Augusti, postquam undecies illam oppugnasset, facta ad muros usque oppressione. Pestham ubi emensus est, Tibiscum Fluvium recipit, & è Servia Savum. Hinc Bulgariam adit sive Mœsiam inferiorem, ubi vestigia pontis Trajani visuntur, prope Severinum. Inde vario flexu & meatu per Valachiam raptus in pontum Euxinum labitur.

De exitu vero Danubii inter autores controversia surgit. Eratosthenes & Ephorus in utrumque mare se exonerare Danubium scripsere. Alii in Pontum Euxinum, ut Strabo, Tacitus, Lucanus, cujus hæc sunt libro secundo Pharsal.

*Nec minor hic Istro, nisi quod dum permeat orbem,
Ister casuros in qualibet æquora fontes
Accipit, & Scythicas exit non solus in undas.*

Valerius Flaccus lib. 8:

Haud procul hic ingens Scythici ruit exitus Istri.

Theopompus & Eratosthenes etiam in Adriaticum mergi Danubium scripserunt. Nec de ostiis convenit. Arrianus lib. 1 de gestis Alexandri, quinque Danubii ostia ponit, & Claudianus de laudibus Stiliconis, *Thracia quinque vadis Istrum vocat*. Et Dionysius Græcus quinque ostiis tantum Istrum investivit, interprete Prisciano:

*Qui postcens ortus Euxini pervenit undas,
Irriguum Peucen complectens gurgite quinto.*

Vbi Eustathius ejus enarrator *ὅτι αὐτὸς πέντε ἔσται μὲν ἡ ἰστροί.* Quorum vero opinio est probabilior, septem ostiis Danubium Ponto immisceri scribunt, sex navigabilibus, septimo paludibus conscripto. In hac sententia sunt Mela, Solinus cap. 22, Strabo lib. 7, Picus:

*tandem rapto tumefactus aquarum
Euxinum ingreditur bis terno gurgite pontum,
Extremumque caput limosa perdit in ulva.*

X X X 2

Mela